



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Svmmma Totivs Theologiæ S. Thomæ Aqvinatis, Doctoris Angelici Ordinis Prædicatorum

Secvndæ Secvndæ Partis Volumen Tertium

Thomas <von Aquin, Heiliger>

Romæ, 1619

De speciebus modestiæ, & primo de humilitate. Quæstio 161.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38803

De speciebus modestia, & primò de humilitate, in sex articulos diuisa.

Postea considerandum est de speciebus modestia. Et primo, de humilitate, & superbia, quæ ei opponitur. Secundo, de studiofitate, & curiositate sibi opposita. Tertio, de modestia, secundum quod est in verbis, vel in factis. Quarto, de modestia, secundum quod est circa exteriorem cultum.

- ¶ Circa humilitatem quærentur sex.
- ¶ Primo, virum humilitas sit virtus?
- ¶ Secundo, virum consistat in appetitu, vel in iudicio rationis?
- ¶ Tertio, virum aliquis per humilitatem se debeat omnibus subijcere?
- ¶ Quarto, virum sit pars modestia, vel temperantia?
- ¶ Quinto, de comparatione eius ad alias virtutes.
- ¶ Sexto, de gradibus humilitatis.

ARTIC. I.

Virum humilitas sit virtus?

Ad primum sic proceditur. Videtur, quod humilitas non sit virtus. Virtus enim importat rationem boni. Sed humilitas videtur importare rationem mali pœnalis, secundum illud Psal. 104. Humiliauerunt in compedibus pedes eius. Ergo humilitas non est virtus.

¶ 2 Præterea, Virtus & vitium opponuntur. Sed humilitas quandoque sonat in vitium. Dicitur enim Eccl. 19. Est qui nequiter se humiliat. Ergo humilitas non est virtus.

¶ 3 Præterea, Nulla virtus opponitur alij virtuti. Sed humilitas videtur opponi virtuti magnanimitatis, quæ tendit in magna: humilitas autem ipsa refugit. Ergo videtur quod humilitas non sit virtus.

¶ 4 Præterea, Virtus est dispositio perfecti, vt dicitur in 7. * Phys. Sed humilitas videtur esse imperfecta.

778
Su 9. 100
ar. 2. cor.
& infra
presenti
9. ar. 2. et
4. co.

tex. 17. et
18. 10. 2.

torum. Vnde & Deo non conuenit humiliari, quia, nulli subijci potest. Ergo videtur quod humilitas non sit virtus.

¶ 5 Præterea, Omnis virtus moralis est circa actiones, & passiones, vt dicitur in 2. * Ethicor. Sed humilitas non connumeratur à Philosopho inter virtutes, quæ sunt circa passiones: nec etiam continetur sub iustitia, quæ est circa actiones. Ergo videtur quod non sit virtus.

Ho. 8. in Lucam à med. illius, t. 3. SED contra est, quod Origenes * dicit, exponens illud Luca 1. Respexit humilitatem ancillæ suæ, Propterea in scripturis vna de virtutibus humilitas prædicatur. Ait quippe Saluator, Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde.

RESPONDEO dicendum, quod sicut supra dictum * est, cum de passionibus ageretur, bonum arduum habet aliquid vnde attrahit appetitum, scilicet ipsam rationem boni: & habet aliquid retrahens, scilicet ipsam difficultatem adipiscendi: secundum quorum primum insurgit motus spei; & secundum aliud motus desperationis. Dictum est autem * supra, quod

1. 2. q. 60 ar. 4. circa motus appetitiuos, qui se habent per modum impulsions, oportet esse virtutem moralem moderantem, & refranantem. Circa illos autem qui se habent per modum retractionis, & resiliens, ex parte appetitus oportet esse virtutem moralem firmantem, & impellentem. Et idem circa appetitum boni ardui necessaria est duplex virtus. Vna quidem, quæ temperet, & refranet animum, ne immoderate prædat in excelsa: & hoc pertinet ad virtutem humilitatis. Alia verò quæ firmet animum contra desperationem, & impellat ipsum ad prosecutionem magnorum, secundum rationem rectam: & hæc est magnanimitas. Et sic patet, quod humilitas est quædam virtus.

l. 10 c. 8. cuius initium est: humilis, in primis. Ad primum ergo dicendum, quod sicut Hieron. * dicit in lib. Etymolog. humilis dicitur quasi humi adcliuis, id est, imis inherens. Quod quidem contingit ad.

duplīciter. Vno modo, ex principio extrinsecō, puta cum aliquis ab alio deiecitur : & sic humilitas est pēna. Alio modo, à principio intrinsecō. Et hoc potest fieri quandoque quidem bene : puta cū aliquis considerans suum defectum, tenet se in infimis secundum suum modum, sicut Abraham dixit ad Dominum, Genes. 18. Loquar ad Dominum meum cū sim pulvis, & cinis. Et hoc modo humilitas ponitur virtus. Quandoque autem potest fieri male : puta cū homo honorem suum non intelligens, comparat se iumentis insipientibus, & similis sic illis.

Ad secundum dicendum, quod sicut dictum * est, *In sol. ad*
humilitas secundum quod est virtus, in sui ratione *1. argu.*
importat quādam laudabilem deiectionem in ima. *prac.*
Hoc autem quandoque fit solum secundum signa exteriora secundum fictionem. Vnde hæc est falsa humilitas, de qua Augustinus dicit in quadam epistola, quod est magna superbia : quia scilicet videtur tendere ad excellentiam gloriæ. Quandoque autem fit secundum interiorem motum animæ. Et secundum hoc humilitas proprie ponitur virtus : quia virtus non consistit in exterioribus, sed principaliter in interiori electione mentis : ut patet per Philosophum in libro Ethicor. *

Ad tertium dicendum, quod humilitas reprimit appetitum, ne tendat in magna præter rationem rectam. Magnanimitas autem animum ad magna impellit secundum rationem rectam. Vnde patet quod magnanimitas non opponitur humilitati, sed conveniunt in hoc, quod utraque est secundum rationem rectam. *l. 2. c. 5. a me 10. 5.*

Ad quartum dicendum, quod perfectum dicitur aliquid duplīciter. Vno modo simpliciter : in quo scilicet nullus defectus inuenitur, nec secundum suam naturam, nec per respectum ad aliquid aliud. Et sic solus Deus est perfectus : cui secundum naturam divinam non competit humilitas, sed solum secundum naturam assumptam. Alio modo potest dici aliquid

quid perfectum secundum quid, puta secundum suam naturam, aut statum, aut tempus. Et hoc modo homo virtuosus est perfectus: cuius tamen perfectio in comparatione ad Deum deficiens inuenitur, secundum illud Isaiæ 40. Omnes gentes quasi non sint, sic sunt coram eo. Et sic cuilibet homini potest conuenire humilitas.

Ad quintum dicendum, quod Philosophus intendebat agere de virtutibus, secundum quod ordinantur ad vitam ciuilem, in qua subiectio vnius hominis ad alterum, secundum legis ordinem determinatur: & ideo continetur sub iustitia legali. Humilitas autem, secundum quod est specialis virtus, præcipue respicit subiectionem hominis ad Deum, propter quem etiam alijs humiliando se subijcit.

ARTIC. II.

779
Inf. a. 6.
cor. 9.
165. a. 3.
ad 2.

6. 18. in
prin.

11. 31. in
me. 10. 6.

Vtrum humilitas consistat circa appetitum?
Ad secundum sic proceditur. Videtur, quod humilitas non consistat circa appetitum, sed magis circa iudicium rationis. Humilitas enim superbia opponitur. Sed superbia maximè consistit in his que pertinent ad cognitionem. Dicit enim Gregorius 14. Moral. * quod superbia cordis cum exterius vique ad corpus extenditur, prius per oculos iudicatur. *Vnde dicitur in Psal. 130. dicitur, Domine, non est exaltatum cor meum, neque elati sunt oculi mei. Oculi autem maximè deseruntur cognitioni. Ergo videtur, quod humilitas maximè sit circa cognitionem, per quam de se aliquis æstimat parua.*

¶ 2. Præterea, Aug. dicit in lib. * de Virgin. quod humilitas penè tota disciplina Christiana est. *ergo quod in disciplina Christiana continetur, pertinet ad humilitatem. Sed in disciplina Christiana continentur etiam omnia que pertinent ad appetendum meliora, secundum illud 1. ad Cor. 12. Amulamini charismata meliora. Ergo ad humilitatem non pertinet reprimere appetitum ad meliora, sed magis æstimationem.*

¶ 3. Præterea, Ad eandem virtutem pertinet re-

frzare superfluum morum, & firmare animum contra superfluum retractionem: sicut eadem fortitudo est quæ refrænat audaciam, & quæ firmat animum contra timorem. Sed magnanimitas firmat animum contra difficultates quæ accidunt in prosecutione magnorum. Si ergo humilitas refrænaret appetitum magnorum, sequeretur quòd humilitas non esset virtus distincta à magnanimitate: quod patet esse falsum. Non ergo humilitas consistit circa appetitum magnorum, sed magis circa æstimationem.

¶ 4 Præterea, Andronicus ponit humilitatem circa exteriorem cultum. Dicit enim quòd humilitas est habitus non superabundans sumptibus, & præparationibus. Ergo non est circa motum appetitus.

SED contra est, quod August. dicit in lib.* de Penitentia, quòd humilis est qui eligit habitare in domo Domini, magis quàm habitare in tabernaculis peccatorum. Sed electio pertinet ad appetitum. Ergo humilitas consistit circa appetitum, magis quàm circa æstimationem.

c. 1. partē à me. t. 9

RESPONDEO dicendum, quòd sicut supra dictum* est, ad humilitatem propriè pertinet ut aliquis reprimat seipsum ne feratur in ea quæ sunt supra se. Ad hoc autem necessarium est, ut aliquis cognoscat id in quo deficit à proportionem eius quod suam virtutem excedit. Et idè cognitio proprii defectus pertinet ad humilitatem, sicut regula quædam directiua appetitus: sed in ipso appetitu consistit humilitas essentialiter. Et idè dicendum est, quòd humilitas propriè est directiua, & moderatiua motus appetitus.

ar. præ.

Ad primum ergo dicendum, quòd extollentia oculorum est quoddam signum superbiæ, in quantum excludit reuerentiam, & timorem. Cõsueverunt enim timentes, & verecundati maximè oculos deprimere, quasi non audentes se alijs comparare. Non autem ex hoc sequitur quòd humilitas essentialiter circa cognitionem consistat.

Ad secundum dicendum, quòd tendere in aliqua

ma-

maiora ex propriarum virium confidentia, humilitati contrariatur. Sed quoddam aliquis ex confidentia diuini auxilij in maiora tendat, hoc non est contra humilitatem: præsertim cum ex hoc aliquis magis apud Deum exaltetur, quoddam ei se magis per humilitatem subijcit. Vnde Augustinus, * dicit in lib. de Penitencia, Aliud est leuare se ad Deum, aliud est eleuare se contra Deum. Qui ante illum se proijcit, ab illo erigitur: qui aduersus illum se erigit, ab illo projicitur.

Ad tertium dicendum, quoddam in fortitudine inuenitur eadem ratio refranandi audaciam, & firmandi animum contra timorem. Vtriusque enim ratio est ex hoc quoddam homo bonum rationis debet periculis metis præferre. Sed in refranando præsumptionem spei, quod pertinet ad humilitatem; & in firmando animum contra desperationem, quod pertinet ad magnanimitatem: est & alia ratio. Nam ratio firmandi animum contra desperationem, est adeptio proprii boni: ne scilicet desperando homo se indignum credat bono quod sibi competebat. Sed in reprimendo præsumptionem spei, ratio præcipua sumitur ex reuerentia diuina, ex qua contingit vt homo non plus sibi attribuat, quam sibi competat secundum gratiam quem est a Deo sortitus. Vnde humilitas præcipue videtur importare subiectionem hominis ad Deum.

Et propter hoc Augustinus in li. * de Sermonibus Domini in monte; Humilitatem, quam intelligit per præparatam spiritus, attribuit dono timoris, quo homo Deum reueretur. Et inde est quoddam fortitudo aliter se habet ad audaciam, quam humilitas ad spem. Nam fortitudo plus vitur audacia, quam eam reprimat: vnde superabundantia est ei similior, quam defectus. Humilitas autem plus reprimat spem, vel fiduciam seipso, quam ea veatur: vnde magis opponitur illi superabundantia, quam defectus.

Ad quartum dicendum, quoddam superabundantia in exterioribus sumptibus, & preparationibus, solet a quoddam iactantiam fieri, quæ per humilitatem reprimi

reprimatur. Et quantum ad hoc secundariò consistit in exterioribus, prout sunt signa interioris appetitui motus.

ARTIC. III.

Virum homo debeat se omnibus per humilitatem subijcere?

780

Ad tertium sic proceditur. Videtur, quod homo non debeat se omnibus per humilitatem subijcere: quia sicut dictum * est, humilitas precipue consistit in subiectione hominis ad Deum. Sed id quod debetur Deo, non est homini exhibendum, ut patet in omnibus actibus latræ. Ergo homo per humilitatem non debet se homini subijcere.

Inf. a. 6. ad 1. Et Philip. 2. co. 2. ar. prac. ad 3.

¶ 2. Præterea, August. dicit in lib. * de Natura, & gratia, Humilitas collocanda est in parte veritatis, non in parte falsitatis. Sed aliqui sunt in supremo flatu, qui si se in inferioribus subijcerent, absque falsitate hoc fieri non posset. Ergo homo non debet se omnibus per humilitatem subijcere.

c. 29. t. 7.

¶ 3. Præterea, Nullus debet facere id quod vergat in detrimentum salutis alterius. Sed si aliquis per humilitatem se alteri subijciat, quandoque hoc verget in detrimentum illius cui se subijcit: qui ex hoc superbiat, vel contemneret. Unde Augustinus * dicit in regula, Ne dum nimium seruatur humilitas, regendi frangatur auctoritas. Ergo homo per humilitatem non debet omnibus se subijcere.

in 3. regula, incipit, Ante omnia fratres, to. 1.

SED contra est, quod dicitur Philip. 2. in humilitate superiores sibi inuicem a bitantes.

RESPONDEO dicendum, quod in homine duo possunt considerari, scilicet id quod est Dei, & id quod est hominis. Hominis autem est, quicquid pertinet ad defectum. Sed Dei est quicquid pertinet ad salutem, & perfectionem: secundum illud Osee 14. Perditio tua Israel ex te est: ex me tantum auxilium tuum. Humilitas autem, sicut dictum * est, proprie respicit reuerentiam, qua homo Deo subijcitur: & idè quilibet homo secundum id quod suum est, debet

ar. 1. ad 5. arg. 7. a. 2. ad 3.

debet se cuilibet proximo subijcere, quantum ad id quod est Dei in ipso. Non autem hoc requirit humilitas, ut aliquis id quod est Dei in seipso, subijciat ei quod apparet esse Dei in altero. Nam illi qui dona Dei participant, cognoscunt ea se habere: secundum illud primæ ad Corinth. 2. Ut sciamus quæ à Deo donata sunt nobis. Et ideò absque præiudicio humilitatis possunt dona quæ ipsi acceperunt, præferre donis Dei, quæ alijs apparent collata. Sicut Apostolus ad Ephes. 3. dicit, Alijs generationibus non est agnatum filijs hominum, sicut nunc reuelatum est sanctis Apostolis eius. Similiter etiam non hoc requirit humilitas, ut aliquis id quod est suum in seipso, subijciat ei quod est hominis in proximo. Alioquin oporteret ut quilibet reputaret se magis peccatorem quolibet alio: cum tamen Apostolus absque præiudicio humilitatis dicat, Gal. 2. Nos natura Iudæi, & non ex gentibus, peccatores. Potest tamen aliquis reputare aliquid boni esse in proximo, quod ipse non habet; vel aliquid mali in se esse, quod in alio non est: ex quo se potest ei subijcere per humilitatem.

Ad primum ergo dicendum, quod non solum debemus Deum reuereri in seipso, sed etiam id quod est eius, debemus reuereri in quolibet. Non tamen eo modo reuerentiæ quo reueremur Deum. Et ideò per humilitatem debemus nos subijcere omnibus proximis propter Deum, secundum illud 1. Petri 2. Subiecti estote omni humanæ creaturæ propter Deum. Latrariam tamen soli Deo debemus exhibere.

Ad secundum dicendum, quod si nos præferamus id quod est Dei in proximo, ei quod est proprium in nobis, non possumus incurrere falsitatem. Unde super illud Phil. 2. Superiores sibi inuicem arbitantes: dicit gloss. * Non hoc ita debemus æstimare, ut nos æstimare fingamus: sed verè æstimemus posse esse aliquid occultum in alio, quo nobis superior fit: etiam si bonum nostrum, quo illo videmur superiores esse, non sit occultum.

Est Aug.
in l. 83.
99. q. 71.
à mc. 1. 4

Ad

Ad tertium dicendum, quod humilitas, sicut & cætera virtutes, præcipue interius in anima consistit. Et ideo potest homo secundum interiorem actum animæ, alteri se subijcere sine hoc, quod occasionem habeat alicuius, quod pertineat ad detrimentum suæ salutis. Et hoc est quod Augustinus dicit in regula *, Timore coram Deo prælatus substratus sit pedibus vestris. Sed in exterioribus humilitatis actibus, sicut & in actibus cæterarum virtutum, est debita moderatio adhibenda, ne possint vergere in detrimentum alterius. Si autem aliquis quod debet faciat, & alij ex hoc occasionem sumant peccati, non imputatur humiliter agenti: quia ille non scandalizat, quamuis alter scandalizetur.

*in 3. regu
la nõ lon
gè a f. 1*

ARTIC. IV.

Vtrum humilitas sit pars modestiæ vel temperantiæ?

Ad quartum sic proceditur. Videtur, quod humilitas non sit pars modestiæ vel temperantiæ. Humilitas enim præcipue respicit reuerentiam, qua quis subijcitur Deo, ut dictum * est. Sed ad virtutem theologiam pertinet quod habeat Deum pro obiecto. Ergo humilitas magis debet poni virtus theologica, quam pars temperantiæ seu modestiæ.

781
su. q. 160.
a. 2. co. 88
3 d. 33. q.
3 ar. 2. q.
3. cor.
* a præc.

¶ 2 Præterea, Temperantia est in concupiscibili. Humilitas autem videtur esse in irascibili, sicut & superbia quæ ei opponitur, cuius obiectum est arduum. Ergo videtur quod humilitas non sit pars temperantiæ, vel modestiæ.

¶ 3 Præterea, Humilitas & magnanimitas circa eadem sunt, ut ex supradictis ¶ patet. Sed magnanimitas non ponitur pars temperantiæ, sed magis fortitudinis, ut supra habitum est *. Ergo videtur quod humilitas non sit pars temperantiæ vel modestiæ.

a. 1. huius
q. ad 3.
q. 129. a.
5.
hom. 8. in
Lu. a me.
to. 3.
* metrio
tis,

SED contra est, quod Origenes dicit super Lucam ¶, Si vis nomen huius audire virtutis, quomodo etiam à Philosophis appelletur, ausculta eandem esse humilitatem quam respicit Deus, quæ ab illis * metrioris dicitur, id est, mensuratio vel moderatio: quæ manifestè

Sec. Sec. Vol. iij.

Aa per-

perinet ad modestiam, vel temperantiam. Ergo humilitas est pars modestiæ, vel temperantiæ.

RESPONDEO dicendum, quod sicut supra dictum est *, in assignando partes virtutibus præcipue attenditur similitudo quantum ad modum virtutis. Modus autem temperantiæ, ex quo maximè habet laudè, est refræctio vel repressio impetus alicuius passionis. Et ideo omnes virtutes refræctantes siue reprimentes impetus aliquarum affectionum, vel actiones moderantes, ponuntur partes temperantiæ. Sicut autem mansuetudo reprimat motum iræ, ita etiam humilitas reprimat motum spei, qui est motus spiritus in magnitudine tendentis. Et ideo sicut mansuetudo ponitur pars temperantiæ, ita etiam & humilitas. Vnde & Philosophus in

li. 4. c. 3. non vemo te a pri. 10. 5. q. 160. a. 1. Tullius l. 2. de inuen. in f. 3. ante f. lib.

quarto * Ethic. cum qui tendit in parua secundum suum modum, dicit non esse magnanimum, sed temperatum: quem nos humilem dicere possumus. Et inter alias partes temperantiæ, ratione superius dicta, continetur sub modestia, prout Tullius ¶ de ea loquitur in quantum scilicet humilitas nihil est aliud, quam quædam moderatio spiritus. Vnde primus Petrus dicitur, In incorruptibilitate quieti ac modesti spiritus.

Ad primum ergo dicendum, quod virtutes theologice, quæ sunt circa vltimum finem, qui est primum principium in appetibilibus, sunt causæ omnium aliarum virtutum. Vnde ex hoc quod humilitas oritur ex reuerentia diuina, non excluditur quin humilitas sit pars modestiæ, vel temperantiæ.

Ad secundum dicendum, quod partes principalibus virtutibus assignantur, non secundum conuenientiam in subiecto, vel in materia, sed secundum conuenientiam in modo formali, vt dictum est *. Et ideo humilitas fit in irascibili sicut in subiecto, ponitur tamen pars modestiæ & temperantiæ propter modum.

Ad tertium dicendum, quod licet magnanimitas & humilitas in materia conueniant, differunt tamen in modo, ratione cuius magnanimitas ponitur pars fortitudinis, humilitas autem pars temperantiæ.

q. 48. c. 157. a. 3. ad 2. et q. 137. a. 2. ad 1.

Virum humilitas sit potissima virtutum?

782

AD quintum sic proceditur. Videtur, quod humili-
tas sit potissima virtutum. Dicit enim Chryso-
stomus exponens illud quod dicitur * Lucae 18. de Pha-
risæo & Publicano, quod si mixta delictis humilitas
tam facile currit, ut iustitiam superbiæ coniunctam
transeat: si iustitiæ coniunxeris eam, quo non ibit?
Assillet ipsi tribunali diuino in medio angelorum.
Et sic patet quod humilitas præfertur iustitiæ. Sed
iustitia est præclarissima omnium virtutum, & inclu-
dit in se omnes virtutes: ut patet per Philosophum
quinto * Ethicorum. Ergo humilitas est maxima
virtutum.

2.d.33.g.
3.d.3. ad
6.
hom.5. de
incompre-
hensibili
Dei natu-
ra circa
med. t.5.
l.5.c.1. à
me. 10.5.

¶ 2 Præterea, Augustinus dicit in libro † de Verb.
Domini, Cogitas magnam fabricam construere cel-
studinis, de fundamento prius cogita humilitatis.
Ex quo videtur, quod humilitas sit fundamentum
omnium virtutum. Ergo videtur esse potior alijs vir-
tutibus.

in ser. 10
paulo a
pri. t.10.

¶ 3 Præterea, Maiori virtuti maius debetur præ-
mium. Sed humilitati maximum debetur præmium:
quia qui se humiliat exaltabitur, ut dicitur Lucae 14.
Ergo humilitas est maxima virtutum.

¶ 4 Præterea, Sicut August. dicit in lib. * de vera
religio. Tota vita Christi in terris per hominem quem
suscipere dignatus est, disciplina morum fuit: præci-
pue humilitatem suam imitandam proposuit, dicens
Matth. 11. Discite à me, quia mitis sum & humilis
corde. Et Gregor. * dicit in Pastoral. quod argumen-
tum redemptionis nostræ inuenta est humilitas Dei.
Ergo humilitas videtur esse maxima virtutum.

c 16. non
procul a
fi. 10.1.
p. 3. c. 18.
non pro-
cul a pri.

SED contra est, quod charitas præfertur omnibus
virtutibus, secundum illud Colossen. 3. Super omnia
charitatem habete. Non ergo humilitas est maxima
virtutum.

RESPONDEO dicendum, quod bonum humanæ virtu-
tis in ordine rationis consistit: qui quidem principa-



liter attenditur respectu finis. Vnde virtutes theologice quæ habent vltimum finem pro obiecto, sunt potissimæ. Secundario autem attenditur, prout secundum rationem finis ordinatur ea quæ sunt ad finem. Et hæc quidem ordinatio essentialiter consistit in ipsa ratione ordinante: participatiuè autem in ipso appetitu per rationem ordinato. Quam quidem ordinationem vniuersaliter facit iustitia, præsertim legalis Ordinationi autem facit hominem bene subiectum humilitas in vniuersali, quàm ad omnia: qualibet autem alia virtus quantum ad aliquam materiam specialem. Et ideo post virtutes theologicas & virtutes intellectuales quæ respiciunt ipsam rationem, & post iustitiam, præsertim legalem, potior cæteris est humilitas.

Ad primum ergo dicendum, quod humilitas iustitiæ non præfertur, sed iustitiæ cui superbia coniungitur quæ iam definit esse virtus: sicut e contrario peccatum per humilitatem remittitur. Nam & de Publicano dicitur Lucæ 18. quod merito humilitatis descendit iustificatus in domum suam. Vnde Chrysostomus dicit, Geminas bigas mihi accommodes, alteram quidem superbiæ & iustitiæ; alteram verò peccati & humilitatis: & videbis peccatum pervertens iustitiam non proprijs, sed humilitatis vincere viribus. Aliud verò videbis deuictum non fragilitate iustitiæ, sed mole & calore superbiæ.

Ad secundum dicendum, quod sicut ordinata virtutum congregatio per quandam similitudinem ædificio comparatur, ita etiam illud quod est primum in acquisitione virtutum, fundamento comparatur, quod primum in ædificio iacitur. Virtutes autem verè instruntur à Deo. Vnde primum in acquisitione virtutum potest accipi dupliciter. Vno modo, per modum remouentis prohibens. Et sic humilitas primum locum tenet, in quantum scilicet expellit superbiam, cui Deus resistit, & præbet hominem subditum, & paratum ad suscipiendum influxum diuinæ gratiæ, in quantum euacuat inflationem superbiæ; vnde dicitur Iacob

ho. 5. incomprehensibili Dei natura, & me. 10. 5.

cobi quarto, quod Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam. Et secundum hoc humilitas dicitur spiritualis ædificij fundamentum. Alio modo est aliquid primum in virtutibus directe, per quod scilicet iam ad Deum acceditur. Primus autem accessus ad Deum est per fidem, secundum illud Hebræorum vndecimo, Accedentem ad Deum oportet credere. Et secundum hoc fides ponitur fundamentum, nobiliori modo quam humilitas.

Ad tertium dicendum, quod contemnti terrena promittuntur cœlestia, sicut contemntibus diuitias terrenas promittuntur cœlestes thesauri: secundum illud Matthæi sexto, Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra, sed thesaurizare vobis thesauros in celo. Et similiter contemntibus mundi gaudia, promittuntur consolationes cœlestes: secundum illud Matth. 5, Beati qui lugent: quoniam ipsi consolabuntur. Et eodem modo humilitati promittitur spiritalis exaltatio: non quia sola ipsam mereatur, sed quia eius est proprium contemnere sublimitatem terrenam.

Vnde Augustinus dicit * in libro de Pœnitentia, Ne putes eum qui se humiliat semper iacere, cum dictum sit, exaltabitur: & ne opineris eius exaltationem in oculis hominum per sublimitates fieri corporales.

in lib. de pœn. med. dic. c. 1. post med. 10. 9.

Ad quartum dicendum, quod ideo Christus præcipue nobis humilitatem commendavit: quia per hoc maxime remouetur impedimentum humane salutis, que consistit in hoc, quod homo ad cœlestia & spiritalia tendat, a quibus homo impeditur, dum in terrenis magnificari studet. Et ideo dominus vt impedimentum salutis auferret, exteriorem celsitudinem contemnendam monstravit per humilitatis exempla. Et sic humilitas est quasi quædam dispositio ad liberum accessum hominis in spiritalia & diuina bona. Sicut ergo perfectio est prior dispositio, ita etiam charitas & alie virtutes, quibus homo directe mouetur in Deum, sunt potiores humilitate.

Utrum conuenienter distinguantur, secundum beatum Benedictum, duodecim gradus humilitatis: scilicet corde & opere semper humilitatem ostendere, defixis in terram aspectibus, &c.

783
inf. q. 162
a. 4. ad 4
Et Matt.
3. co. 3.
* cap. 7.

AD sextum sic proceditur. Videtur, quod inconuenienter distinguantur duodecim gradus humilitatis: qui in regula * beati Benedicti ponuntur. Quorum primus est, corde & corpore semper humilitatem ostendere, defixis in terram aspectibus. Secundus, ut pauca verba & rationabilia loquatur aliquis, non clamorosa voce. Tertius, ut non sit facilis aut promptus in risum. Quartus, taciturnitas usque ad interrogationem. Quintus, tenere quod habet communis regulae monasterij. Sextus, credere & pronuntiare se omnibus viliolem. Septimus, ad omnia indignum & inutilem se confiteri & credere. Octauus, confessio peccatorum. Nonus, per obedientiam in duris & asperis patientiam amplecti. Decimus, ut cum obedientia se subdat maiori. Undecimus, ut voluntatem propriam, non delectetur implere. Duodecimus, ut Deum timeat, & memor sit omnium, quae praecepit. Enumerantur enim hic quaedam, quae ad alias virtutes pertinent, sicut obedientia & patientia: enumerantur etiam aliqua quae ad falsam opinionem pertinere videtur, quae nulli virtuti potest competere, scilicet quod aliquis pronuntiet se omnibus viliolem, & quod ad omnia indignum & inutilem se confiteatur & credat. Ergo inconuenienter ista ponuntur inter gradus humilitatis.

¶ 2 Præterea, Humilitas ab interioribus ad exteriora procedit, sicut & cæteræ virtutes. Inconuenienter ergo præmittuntur in præmissis gradibus illae quae pertinent ad exteriores actus, his quae pertinent ad interiores.

¶ 3 Præterea, Anselmus in lib. * de similitudinibus ponit septem humilitatis gradus. Quorum primus est, contemptibile se esse cognoscere: secundus de hoc dolere: tertius, hoc confiteri: quartus, hoc persuade-

et c. 10. vs
que ad c.
18.

re, ut scilicet, hoc velit credi: quintus, ut patienter sustineat hoc dici: sextus, ut patiatu[r] contempribiliter se tractari: septimus, ut hoc amet. Ergo videntur præmissi gradus esse superflui.

¶ 4 Præterea, Matt. 3. dicit glo. * Perfecta humilitas tres habet gradus. Primus est, subdere se maiori, & se non præferre æquali: qui est sufficiens. Secundus est, subdere se æquali, nec præferre se minori: & hic dicitur abundans. Tertius gradus est, subesse minori: in quo est omnis iustitia. Ergo præmissi gradus videntur esse superflui.

¶ 5 Præterea, Aug. * dicit in lib. de Virgin. Mēsurā humilitatis cuique ex mēsurā ipsius magnitudinis data est: cui est periculosa superbia, quæ amplius amplioribus insidiatur. Sed mēsurā magnitudinis humana non potest sub certo numero graduum determinari. Ergo videtur, quod non possint determinati gradus humilitatis assignari.

RESPONDEO dicendum, quod sicut ex * supradictis patet, humilitas essentialiter in appetitu consistit, secundum quod aliquis refrænāt impetum animi sui ne inordinatē tendat in magna: sed regulam habet in cognitione, ut scilicet aliquis nō se existimet supra id esse quod est. & vtriusque principiū & radix est reuerentia, quam quis habet ad Deū. Ex interiori autem dispositione humilitatis procedunt quædam exteriora signa in verbis & factis & gestibus, quibus id quod interiorius latet, manifestatur: sicut & in cæteris virtutibus accidit. Nam ex visu cognoscitur vir: & ab occurso faciei, sensatus: ut dicitur Ecclesiast. decimonono. Et ideo in prædictis gradibus humilitatis ponitur aliquid quod pertinet ad humilitatis radicem, scilicet duodecimus gradus, qui est, ut homo Deum timeat, & memor sit omnium quæ præcepit. Ponitur etiam aliquid pertinens ad appetitum, ne scilicet in propriam excellentiam inordinatē tendat: quod quidem fit tripliciter. Vno modo, ut homo non sequatur propriam voluntatem: quod pertinet ad vndeci-

gl. ord. su
der illud
implere
omnem
iustitiam

c. 31. an-
ts me. 1. 6

av. 2. hu-
ius q.

num gradum. Alio modo, ut regulet eam secundum superioris arbitrium: quod pertinet ad gradum decimum. Tertio modo, ut ab hoc non deficiat propter dura & aspera quæ occurrunt: & hoc pertinet ad nonum. Ponuntur etiam quædam pertinentia ad exillimationem hominis recognoscentis suum defectum: & hoc tripliciter. Vno quidem modo, per hoc quod proprios defectus recognoscat & confiteatur: quod pertinet ad octauum gradum. Secundo, ut ex consideratione sui defectus aliquis insufficientem se existimet ad maiora: quod pertinet ad septimum. Tertio, ut quantum ad hoc alios sibi præferat: quod pertinet ad sextum. Ponuntur etiam quædam, quæ pertinent ad exteriora signa: quorum vnum est in factis, ut scilicet homo non recedat in suis operibus à via communi: quod pertinet ad quintum. Alia duo sunt in verbis, ut scilicet homo non præcipiat tempus loquendi: quod pertinet ad quartum; nec excedat modum in loquendo: quod pertinet ad secundum. Alia verò consistunt in exterioribus gestibus, puta in reprimendo extollentiam oculorum: quod pertinet ad primum; & in cohibendo exterius risum & alia ineptæ iactantia signa: quod pertinet ad tertium.

Ad primum ergo dicendum, quod aliquis absque falsitate potest se credere & pronuntiare omnibus vitiis secundum defectus occultos, quos in se recognoscit, & dona Dei, quæ in alijs latent. Vnde Aug. loquitur in lib. * de Virginit. Existimare aliquos in occultis latere superiores, quibus estis in manifesto meliores. Similiter etiam absque falsitate potest aliquis confiteri & credere ad omnia se inutilem esse, & indignum per proprias vires, ut sufficientiam suam totam in Deum referat: secundum illud 2. ad Corin. h. 3. Non quod sufficientes simus cogitare aliquid à nobis quæ sit nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est. Non est autem inconueniens quod ea quæ ad alias virtutes pertinent, humilitati ascribantur: quia sicut vnum vitium oritur ex alio, ita naturali ordine actus vnius virtutis procedit ex actu alterius.

Ad

452. pa-
711 a me.
80. 6.

Ad secundum dicendum, quod homo ad humilitatem peruenit per duo. Primo quidem & principaliter per gratia donum. Et quantum ad hoc, interiora præcedunt exteriora. Aliud autem est humanum studium, per quod homo prius exteriora cohibet, & postmodum pertingit ad extirpandum interiorem radicem. Et secundum hunc ordinem assignantur hic humilitatis gradus.

Ad tertium dicendum, quod omnes gradus, quos Anselmus ponit, reducuntur ad opinionem & manifestationem & voluntatem propriae abiectionis. Nam primus gradus pertinet ad cognitionem proprii defectus. Sed quia vituperabile esset si quis proprium defectum amaret, hoc per secundum gradum excluditur. Sed ad manifestationem sui defectus, pertinent tertius & quartus gradus, ut scilicet aliquis non solum simpliciter suum defectum enuntiet, sed etiam persuadeat. Alii autem tres gradus pertinent ad appetitum, qui excellentiam exteriorem non querit: sed exteriorem abiectionem vel æquanimiter patitur, siue in verbis, siue in factis: quia sicut Greg. * dicit in registro, Non grande est ijs nos esse humiles, à quibus honoramur, quia & hoc seculares quilibet faciunt: sed illis maxime humiles esse debemus, à quibus aliquid patimur. Et hoc pertinet ad quintum & sextum gradum. Vel etiam desideranter exteriorem abiectionem amplectitur: quod pertinet ad septimum gradum. Et sic omnes isti gradus continentur sub sexto * & septimo superioribus enumeratis.

li. 2. c. 24.
cir. med.

in arg. 1.

Ad quartum dicendum, quod illi tres gradus accipiuntur non ex parte ipsius rei, id est secundum naturam humilitatis: sed per comparisonem ad gradus hominum, qui sunt vel maiores, vel minores, vel æquales.

Ad quintum dicendum, quod etiam illa ratio procedit de gradibus humilitatis, non secundum ipsam naturam rei, secundum quam assignantur præmissi gradus, sed secundum diuersas hominum conditiones.

A. B.